

prædicationem, sese apud Phosphorum suum unicum Jesum Christum velle subsistere professus est; illud minime pensi habens, quod Petrus ortum hujus Phosphori, in corde nostro factum, a sermone Prophetico, eoque firmiore, quam lumen fuerat Taborium, deducat. Eandem ἑλλαμψιν immediatam Johanna quoque Leade, Anglicana ista Philadelphicæ Societatis Primpila, de sese prædicavit; nec tamen valuit demonstrare, quod a divino potius, quam maligno & infernali spiritu, mille fraudum ac technarum artifice, eadem sibi ministraretur.

## S.

SABBATISMUM vendicant nonnulli Mariæ, partis optimæ electrici, qui Martham operosam jam de B. O. erga proximum, jam de vita activa, contemplationi opposita, explicant. Vocant unum necessarium, si quis, in sacro silentio vel media nocte ad pedes Christi confidens, virtutem Dei immediate operantis persentiscat. Talis fuit Sabbatismus ecstasticus Böhmi, talis Hilarii Prachii, in Quakerorum nassam pertracti, ac de societate Helmontii gloriantis. Sed & Molinosianus Sabbatismus vocari spurius meretur, eo, quod scribere audeat iste Primicerius: Quid opus est continuo pasci nos mysteriis, miraculis, verbis J.C.? Alimenta quidem illa sunt animarum, sed non vita. Hæc ille. Aliam nos quietem docet Præceptor, cujus erudita lingua sic ait: Verba mea sunt spiritus & vita. Proin nemo introducitur in cellaria Sponsi, nisi per auditum vocis divinæ ad Sabbatismum animæ genuinum pertingat. SACRIFICIUM sui SPIRITUALE. Teresia hoc appellat subjectionem voluntatis nostræ sub voluntatem divinam, quæ fiat sese annihilando, & intra essentiam divinam introeundo. Tum enim juxta hanc anima salutem suam in solidum Deo immolat, uti antea percepimus, dicendo: Si persuasa sum, quod tu, o DEUS, me velis damnare, fiat voluntas tua. Ubi vero gloriatur anima divitiis suis; ibi locum non habet sacrificium Deo placens, nempe cor contritum & spiritus contribulatus. Salniter / oder Leiblichkeit Gottes soll seyn das erste Ausgehauchte aus dem ewigen Nichts; diesen Salniter habe Lucifer, als

als